

176

358, 2

276

DIATRIBARUM
DOMESTICARUM
DECAS VIII.

Quam

D. O. M. A.

PERMISSU ET CONSENSU

Amplissimi JCtorum Ordin-
nis in Academiâ Salanâ,

PRAESIDE

JOHANNE SCHRÖTERO,

OSTERBURGO-MARCHICO,

DEFENDERE CONABITUR

VALENTINUS HELLEWIGIUS,
OSTERBURGO-MARCHICUS.

Addiem III. Decembr.

JENÆ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI.

ANNO CHRISTI

1614.

VIRIS

Nobilitate generis, propriarum Virtutum Splendore,

Multarumq; rerum usu & experientia, partim bellicâ,
partim togatâ præstantissimis

DN. FRIDERICO.

DOMINO

DN. HENRICO

VALENTINO

DN. CHRISTOPHORO

A'

DN. JUSTO

Bismarcken.

DN. LUDOLPHO

DOMINO

A
Bismarcken Fratribus.
germanis.

Dn. Hæreditariis in
Grewsen & Briest.

HÆREDITARIO
in Schönhäusen
& Briest.

Dominis Fautoribus, Promotoribus & Patronis
nullo non observantia cultu prosequendis

Hanc Disputationum juridicarum
Decadem.

In honoris ac reverentiae monumentum, studio-
rum testimonium,

Debitæ gratitudinis & amoris symbolum.

Offert & consecrat

Respondens.

M E O
VALENTINO
HELLEWIGIO
RESPONDENTI S.



ELLUVVIGI claro si queris pondera nisu
Claratibi, HELUVVEGUS nomine regis
mihi es

At queris. Conclude. Magis concludat Apollo
Et clarum magno fænore te faciat.

M. Thomas Sagittarius
P.C. Prof. Publ. & Facult.
Philosophicæ p. t. Decan.

HELLVVIGI, patriæ mihi quem communio
terræ

Jungit, & in studio fors cupit esse parem.:
Sic te scandendo plebeiæ subtrahe fœci,
Et pete sublimem nocte dieque locum.:
EUNOMIAE vigili perlustra mente theatrum,
Invenies, ex queis ditior esse queas.

Repat

Repat humi Corydon, felices rideat ausus,
Rumpetur, bene si cedere cernet opus;
Tu contra surges, & summo nomina cœlo
Æquabis, quæ nec mors violabit iners.
Fons quondam illimis dicēris Juris & æqui,
Hauriet unde suam Dives, egenus opem..
Sic te civi suo gaudebit patria, sic te
Prole sua poterit Mater ovare senex.

Johannes Schröterus.

Tu quoqz legiferis, HELVVICI doce, corollam
Exhibeas amplio juris vernantis in horto
Floribus è denis textam moderante SCHRÖTERO
Quem manibus tenet alma Themis, quo MARCHIA
gaudet?

Obene sic ô si perges dare serta Themistos
Et sertum capies quondam, te plura sequentur
Præmia namqz tuum rapidis Astræa caballis
Gloriola ducet nomen. Sine fine vigebis!

Joachimus Billerbeck
Stendalio-Marchicus.

DECAS VII.

161



DIATRIBARUM
DOMESTICARUM

DECAS OCTAVA.

RESPONDENTE

VALENTINO
HELEWIGIO
OSTERBURGO-MARCHICO.

QUESTIO I.

An exception non numerata pecunia post biennium
opponi possit?



T^his scripturæ plerumque proba-
tionis gratia adhibentur, l. 4. de pign. l. 4.
de fid. instrum. non ut obligent l. 38. de O.
E. A. tamen interdum non minus strin-
gunt atque reliqui contractus, quod acci-
dit, tū quādo quis pecuniā se debere scripsit,
qua tamen revera non est numerata, pr. tit. Inst. de lit. oblig.
Verum quia iniquum videtur, cogi ad solutionem ejus, quod

Z

non

DIATRIB. DOMESTICAR.

162.

non accepisti, l. 78. de leg. i. non abs re querunt legum periti; An actio ex hac literarum obligatione proficisciens etiam post biennium elidi possit per exceptionem non numeratae pecuniae? Questio est tamen anno 1500, ut in simili loquitur Africanus in l. 88. pr. ad l. Falcid. Cujus tamen negativa rigore juris inspecto verior nobis videtur, uti ex subsequentibus apparet. I. Quandocumq; exceptio non numeratae pecuniae intra legitimum tempus (quod hodie est biennium) non est opposita tunc debitor OMNIMODÒ solvere cogitur, l. 8. C. de non num. pec. Est autem omnimodò idem quod necessariò, l. 10. §. 6. de V & P. S. indistinctè l. pen. pr. pro suo. Et sine exceptionis auxilio l. 39. §. pen de op. nov. nunc l. i. §. 1. de usur. Non tenetur autem necessariò, non indistinctè, non sine exceptionis auxilio, si exceptionem post biennium etiam cum onere probandi pretenderet, posset enim actionem elidere l. 112. de R. f. atque sic nec debitor forit l. 26. §. 3. de conduct. indeb. Et male diceretur compelli. Quare cum d. l. 8. indistinctè nobis sit tradita, indistinctè etiam e. im accipiamus oportet, ne sinistra capiamus, quod dextra est porrectum. II. Herculeum est fundamentum quod suppeditat l. 14. prin. C. de non num. pec. in qua Justinianus expressè scriptum reliquit, exceptionem non numeratae pecuniae intra SOLUM biennium continuum opponi debere, eo vero clapsò. NULLO MODO introduci posse. Sed hec ab aliis ita accipi solent, quasi nullo modo possit opponi tanquam privilegium, optimè autem si reus in seje derivetonus probandi. Sed leges limitationis hujus nō meminerunt: quin imò, quod reus intra biennium non tenetur probare avagyuç, l. 3. C. d. t. id non habet ex speciali quodam privilegio, sed potius ex naturali ratione, qua negativa probatio esse non potest, l. 10. C. eod. sed semper incumbit affirmanti, l.

2.5



DECAS VIII.

193

2. Et l. 23. C. de probat. qui in proposito est actor. Et quamquam negans interdum per obliquum aliquid probare potest, si scilicet dicat, se alibi fuisse, quam ubi pecunia dicitur esse numerata: tamen illae allegationes vocantur improbae in §. item verborum. 1.1. Inst. de inutil. stip. Et non facile ad consequentias producenda sunt: nisi leges id expressè dicant. Quod tantum abest, ut in nostro casu admitti possit, ut d. l. 14. §. 2. in f. expressè id prohibeat uti rectè probat Donellus. Etenim si post biennium ne dicere quidem licet reo pecuniam sibi non esse numeratam multò minus id probare poterit arg. l. 2. de probat. Et quid dicendum foret, si locus numerationis non esset chirographo insertus? metuenda esset eadem iniquitas (modo iniquitas dicenda) cum nec omissio loci rei veritati prejudicet, non magis quam error l. 6. §. 1. de off. praesid. Quid quod Et tum aliquo modo periclitaretur Justitia, quando reus sciret quidem sese pecuniam non esse numeratam, sed destitueretur testimonii: nam ob defectum testium Justicia Et veritas non debent perire. c. fin. extra de testibus cog III. Ostendit hoc propositum Justiniani: Hic enim propterea cancellos exceptioni huic olim circumdatos aliquo modo coarctavit, eum in finem: ne creditores possint diutius suis pecuniis defraudari. Inst. delit. oblig. Quem suum scopum non obtinuisse, si post definitum tempus adhuc exceptio prætenderetur etiam tum, quando pecunia verè non est numerata: Hac n. ratione rei morosi sumerent occasionem litigios protractione, Et veros etiam debitores defraudandi: quod ne fieret, via hac omnino fuit intercludenda, quemadmodum in simili factitatū meminimus in §. 1. Inst. de vi bon. rapt. ut boni ad solertia invitetur, mali verò à delictis deterreantur arg. l. 31. pr. Depos IV. Sequeretur tūc quod literarū obligatio

Z 2

nunquam

nunquā esset obligatio verè ita dicta: Etenim ante lapsus
biennii non est: neque etiam tum, quando pecunia revera
est numerata, esset enim potius ex re, quam literis, & scriptu-
ra obtineret vicem probationis, ut in pr. questionis diximus:
non etiam post biennium, si exceptio opponi posset, eit enim
Imp. in d. t. de lit. obl. tum demum reum scriptura obligari,
quando queri non potest. At ex sententia adversariorum
nunquam non posset queri, & sic ad Kalendas Græcas obliga-
retur. Unde hoc Imperatori in mentem venire potuit? Quia
igitur posterius hoc inconveniens est, prius etiam non subsi-
stet. V. Ex his constat, quod obligatio literarum non possit
esse nisi tum demum, quando pecunia non est numerata, ita
ut ex sola scriptura, non autem ex ipsa pecunia numeratione
obligatio & actio promanet: nisi mutuum cum hoc contractu
confundere placuerit. Neque est hæc illicita exactio vel re-
spectu actoris vel rei: non illius, petit enim quod sibi debetur
ex contractu, qui inducitur scriptura lapsu temporis & legis
authoritate munita, l. 4. C. adl. de adult. l. Jul. 13. §. 1. de injur.
non etiam hujus, quia quemadmodum in usucapione, qui
rempræscribi patitur, alienare videtur l. 28. de V. S. Ita et-
iam hic, qui chirographum intra biennium non repetit, spon-
tē sua se obligasse dici potest: in primis cum nullam igno-
rantiam pretendere possit: juris enim si alleget, audiendus
non est l. 9. de jur. & fact. ign. l. 2. de confess. nam jura vigi-
lantibus sunt scripta l. 24. inf. quæ in fr. credit. non stultis
l. 4. quod vi aut clam. l. 8. de compensat. sin facti, nullam a-
liam pretendet, quam facti proprii, quæ neminem excusat l.
7. ad Sc. Vell. l. 3. de jur. & fact. ign. l. 46. de acquir. her. Tuen-
tur hanc sententiam, Duar. ad t. C. de non num. pec. c. 4. Don.
ad l. 8. n. 21. & seqq. C. de non num. pec. Zanger. part. 3. de

except.

DECAS VIII.

except. c. 12. n. 24. Hartman. Pistor. 4. quæst. 12. num. 13. Fa-
chin. 2. contr. c. 81. Förster. part. 2. disp. 5. th. ult. Wesen. ad tit.
Inst. de lit. obl. num. 2. Encl. Don. libr. 14. c. 38. lit. A. Dn. A-
rum. exerc. 12. th. 12. El. Röber. disp. 15. Cor. 2. Aquarecedunt
Gomes. 2. resol. c. 6. n. 7. Bronch. cent. 2. aff. 22. Hænon. disp. 15.
thes. ult.

165

QUÆSTIO II.

An & quomodo contrahentibus licet se in-
vicem circumscribere?

Ita comparatum est in vita humana, ut sibi potius quilibet
vigilet, quam alii l. 6. §. 8. que in fraud. cred. unde homines
plerumque ad contractus accedunt, ut emptor vilioris emat,
venditor vero charius vendat l. 8. C. de resc. vend. Fieri itaq;
non potest (cum rerum non possit certum definiri præcium),
l. 3. de eo, quod cert. loc. l. 63. §. ult. ad l. Falcid., quin interdum
vel hic vel ille circumscribatur l. 12. §. 1. de jure dot. Dubium
hinc propullulat: An istiusmodi circumventiones sint licite?
De quo quidem quò minus dubitemus faciunt leges & ratio-
nes. I. Leges hoc facientes in trivio sunt notæ, l. 16. §. pen.
de minor. l. 22. & seq. locat. II. Rationes sunt: Quicquid
facit ad provehenda mercimonia, sine quibus hominum so-
cietas salva esse non potest l. 1. de contr. empt. excitat homi-
num diligentiam, ut discant cauti negotiari l. 2. C. defurt.
facitq; ut lites civium evitentur & finiantur, l. 21. de reb.
cred. quibus resp. maximè lreditur, l. 21. §. 1. de capt. & post. re-
vers. illud utique licitum esse nemo, nisi cerebrum in calcaneo
gerat, negabit. Sed hujusmodi circumscriptiones hac omnia
efficiunt: quis enim foret mercatura usus, qua frequentia, si
vel ob quamcunq; lesionem concederetur contractus rescissio?

Z 3

1.54.de

DIATRIB. DOMESTICAR.

156

l.54. de contr. empt. quæ civium cautio & prudentia, si sci-
rent, se facilis negotio in integrum iri restitutum? l.8. de com-
pens. & quæ tandem fora sufficerent litibus decidendis &
componendis, si propter quamcunque minimam etiam lesio-
nem judex esset inquietandus? l.4. de in integr. rest. l.12. de
impens. in res dot. III. Quia cuilibet ita licet rem suam
meliorem facere, ne alterenoceat, l.8 §.4. de aq. pluv. arc.
Non nocet autem contrahenti, qui eum in precio circumve-
nit, quis enim scientem & conscientem defraudare potest? l.
6. §.9. quæ in fr. cred. Etenim si est venditor, qui fallitur, sibi
imputet, quo d'vires rei suæ ignoraverit l.15 C. de resc. vend.
si emptor, itidem quod queratur non habet, cum affectare
quisq; non debeat, quod non intelligit l.8 §.1. ad l. Aquil. Jure
igitur suo utitur, qui rem familiarem absq; alterius injuria
augere studet, & proinde minime delinquit, l.55. de R. J. l.9.
inf. de condic. caus. dat.

Verum cum hæc circumscrip^{tio} sit de genere permissorum,
quæ quandoq; honestatem oppugnant, l.144. de R. J. ut cō-
cubinam habere licet, sed non est honestum, l.41. §.1. de rit.
nupt. meretrici dare licet, sed non honeste l.4. §.3. de condic.
ob turp. caus. laudandus est, qui cum potuerit circumveni-
re, non circumvenit l.1. §.3. de per. & com. reivend. Aut si jure
suo uti quis voluerit, etiam atq; etiam videbit, ut intra licti
limites se contineat, ne usus cōvertatur in abusum, id quod
tunc futurum est, quando ultra dimidium contrahentem lase-
rit, l.2. C. de resc. vend. c. pen. extr. de empt. & vend. vix enim
verisimile est in tantum aliquem consensurū detrimentum,
nisi dolo inducatur & defraudetur, ideoq; contractus est re-
scindendus l. pen. de resc. vend. Deinde circumventio hæc non
aliter est concessa nisi negotiativè sive è mpto ex iō. Nov. 97. c.1

& nutu-

Enaturaliter, b.e.sine dolo & ex incuria contrahentium fiat e.l.16. §.pen.de min. & l.22. loc. Alias si dolosum venditoris cōsilium contractuicauسام dederit, contractus bona fidei est nullus ipso jure l.7. pr.de dol.mal. Neq; enim ius civile probat imposturas eorum venaliorum, qui ad lucrum potius vel turpiter faciendum sunt pronil. 44. §.1. de edil.edict. & vix aut nunquam Deo placere possunt c.ejiciens.dist. 88. nam bona fides, qui in contractibus requiritur, l.2. §.1. de precar. l.11 pr.de act. empt. contraria est dolo & fraudi, l.33. §. fin. pro foc. Vide Robert. libr.3. sentent. c.12. inf. Eberhard. Speckhan cent. 2. class. 2. q. 15. Enuct. Don. lib. 15. c. 40. lit. C. Cujac . ad d. l.16. & ibid. Ant. Fabr. Vult. ad pr. Inst. de empt. num. 2. Petr. Gregor. 21. Synt. jur. c. 13. n. 2. Bronch. cent. 2. ass 52. Dn. A- rum. disp. 1. ad l. 2. C. de resc. vend. thes. 2. Borcholt. de pact. c. 6. n. 7. Treutl. vol. 1. disp. 28. th. 7. lit. d. Coler. part. 2. disp. 3. probl. 3.

QUÆSTIO III.

An beneficium l. 2. C. de resc. vend. etiam
emptori competit?

Certant inter se legumi Doctores, an beneficium d. l. 2. à persona venditoris ad emptorem etiam sit producendum? Et quanqnam negari non potest, venditori duntaxat esse indulsum: tamen nihil obstat, quò minus empori etiam tribuatur. I. Dispositum in uno correlativorum, etiam dispositum censemur in altero arg. l. 41. de R. J. l. 5. de resc. vēd. l. 11. §. ult. de act. empt. l. 1. C. de Cnpress. libr. 11. Sed beneficium hoc venditori est concessum. Ergo & empori. in primis cum nulla sit ratio diversitatis. Nam quod Impp. tantum faciunt

mentio.

DIATRIB. DOMESTICAR.

168

mentionem venditoris, id non sit eo animo, quasi vellent beneficium hoc ad eum tantū restringere; sed quod ab emptore essent consulti, idem procul dubio dicturi, siemptor eorum auxilium implorasset. II. Quia eadem est ratio in emptore, quæ in venditore: etenim quemadmodum utriusque licitum est sese in precio circumscribere l. 16. §. penult. demin. l. 22. loc. ita in utroque humanum est, ne laesio excedat dimidium, quid enim potius peccavit emptor, quam venditor? An quod ille sponte sua ad contractum processit, hic verò necessitate coactus? Nilminus, cum & ille rei familiaris necessitate coactus s̄a penumerò emat l. 1. de contr. empt. quin imò neuter invitus contrahat l. 5. C. de O. & A. l. 16. de jur. delib. l. 21. §. ultim. quod met. caus. l. 22 de rit. nupt. Taceo, quod major sit ratio, quæ pro emptore militat, quam qua venditori succursum est: Hic enim rei suæ valorem scire potuit, l. 15. C. de resc. vend. ille non item, & sic versatur in ignorantia alieni facti, quæ nocere non debet, l. ultim. inf. pro suo. III. Idem constat ex l. 6. §. ultim. l. 12. §. 1. de jur. dot. ubi trique subvenitur. Stant à nostris partibus Donell. & Giphan, add. l. 2. C. de resc. vend. & hic ad l. 16. num. 9. de R. J. Dn. Arum. exercit. 14. thes. 8. & disput. 2. ad d. l. 2. thes. 7. Fachin. 2. contr. 16. Robert. libr. 2. animadvers. c. 13. & 14. Diff. Cujac. 16. obs. 18. Anton. Fab. decad. 8. error. pragm. 7. Phil. Matth.

ad l. 68. num. 34.

de R. J.



CLAVES

QUE-

DECAS VIII.

QUÆSTIO IV.

169

An merces locationis requirat pecuniam
numeratam?

Tanta est inter locationem & venditionem affinitas, immo agnatio, ut ovum ovo ferè non sit similius, quambi duo contractus sibi in vicem. Hinc iisdem ferè regulis constare dicuntur, l. 2. pr. locat. Quemadmodum igitur emptio & venditio, tum est perfecta, quando de precio inter se convenerunt contrahentes, l. 2. l. 35. §. 5. de contr. empt. ita etiam Locatio, si de mercede prin. Inst. de locat. & conduct. d. l. 2. pr. ita ut sine mercede nulla singi possit locatio l. 23. com. divid. l. 52. pr. de don. int. vir. & uxor. l. 1. §. 9. Depos. ut premium emptionis in alterius arbitrium conferri potest, l. ultim. C. de contr. empt. ita & merces locationis l. 25. prin. locat. & breviter, adeò sibi sunt gemini, ut etiam prudentissimi eos dignoscere interdum non potuerint, d. l. 2. §. 1. locat. Quæres fccit, ut quæsum fuerit, an sicut premium emptionis & venditionis in pecunia numerata consistit, l. 9. C. de contr. empt. eadem etiam ratione merces locationis eandem pecuniam requirat? Affirmativam tuebimur non sicut neis muniti telis. l. Quia Locatio iisdem regulis continetur, quibus emptio & venditio, d. l. 2. pr. At in illo contractu requiritur, ut premium consistat in pecunia numerata §. 2. Inst. de empt. & vēd. Ergo & in hoc. Quod autem similitudo horum contractuum sepe etiam extendat quoad precii & mercedis materiam, id tum ex contextu, tum etiam ex ratione identitatis in proclivie est colligere. Ex contextu quidem, quia Imp. cum in pr. & §. 1. quasdam similitudines inter hunc & illum contractum indicasset, pergit in §. 2. Præterea, & ostendit, quod quem-

A a

admo-

DIATRIB. DOMESTICAR.

170

admodum pr ecium in emptione & venditione consistit in pecunia numerata: sic etiam in locatione & conductione. Ratio identitatis est, ut evitetur confusio contractuum nominatorum & innominatorum. Nam si merces posset constare in aliis etiam rebus extra pecuniam, tum in locatione faciendi, oriretur contractus Do ut facias; in locatione vero fruendi Do ut des, & sic sequeretur confusio. II. Et hoc est, quod Ulp. dicit in l. 1. §. 9. Depos. si pecunia non intervenit, quasi genus locati & conducti esse, & propterea dari actionem prescriptis verbis. Et quanquam non ignoramus, pecuniae verbum quandoq; non significare tantum pecuniam numeratam, sed omnes res, tam soli, quam mobiles, tam corpora, quam jura, l. 222. de V. S. l pen. §. pē. C. de constit. pec. quandoq; etiam res fungibles, que pondere, numero & mensura constant, l. 30. pr. de leg. 1. tamen in neutra significatione hic accipi potest: non in priori illa generalissima, quia tum opera & frustra pecuniae opponerentur, & species esset extra suum genus, quod absurdum. Non etiam in posteriori hac generaliori, sed in speciali, quod III. ex l. 5. §. 2. de prescr. verb. demonstrari potest: ibi enim, si pecunia intervenerit, ut in tabula pingatur, locatio oriri dicitur, sicut superiori casu emptio, ex quo sic colligimus: Ex qua pecunia oritur emptio & venditio, ex eadem etiam proficiuntur locatio & conductio: At non ex pecunia in generalissimo vel generaliori significatu sumpta, sed ex pecunia numerata oritur emptio & venditio, quod hodie sopita Sabinianorum & Proculianorum lite dubium non habet. Ergo. Interim tamen verbum PECUNIAE in §. 1. d. l. 5. simpliciter est positum: si igitur allegatis legibus locus esset relinquendus, ab orco revocaretur sententia Sabini & Cassii, que tamen jam dudum nigrum tulit calculum.

IV. Mi-



DECAS VIII.

171

IV. Militat pro hac sententia l. i. §. fin. mand. ubi quod modo dixerat Iustus Paulus mercedem, explicat per vocem Pecuniae, eamq; ait locationem & conductionem constituere. V. Expressè confirmat hoc l. 25. §. 6. Locat. ubi Gaius conductionem discernit à colono partiario ex eo, quod hic absque pecunia numerata conduxit, ille verò contrà; illumque ad societatis contractum alegat cum Ulp. in l. 52. §. 2. vers. si in coēunda. pro soc. hunc verò conductoris jure uti afferit. VI. Postremò non leve hujus sententia fundamentum inde etiam de promissione potest, quod sapissimè merces locationis vocatur premium, l. 10. § fin. de acquir. poss l. 51. §. 1. l. 58. prin. locat. l. ultim. §. ultim. de l. Rhold. deject. Qnod sanè nullam aliam ob causam factum esse credendum est, quam ut ostendatur, mercedem non minus, quam premium in pecunia numerata subsistere. Patrocinium hujus sententiae suscipiunt, Gomes. libr. 2. var. resol. c. 3. num. 3. Donell. 13. com. 6. & ibid. Enucleat. lit. I. Fachin. libr. 1. contr. c. 82. Giphan. Hortens. ad §. præterea de locat. & conduct. Dn. Arum. exerc. 14. thes. 10. Förster. part. 1. disp. 18. th. 8. Wegner. disp. 12. th. 3. sit. D. Diss. Cujac. ad l. 35. §. 1. locat. Wes. add. §. 1. præterea n. 1. & in par. ff. locat. n. 6. Coras. 2. miscell. c. 11. Bronch. cent. 2. aff. 66. Vasq. ill. contr. c. 83. Borcholt. de pact. c. ultim. num. 10. Vult. libr. 1. J. R. c. 36. num. 14. Coler. part. 2. disp. 3. thes. 14. lit. B. Hænon. disput. 16. thes. 16.

Elias Rober. distutat. 17. thes.

7. & alii.



QUÆSTIO V.

An emphyteusis sit juris civilis?

Contractus maximam partem ortos esse ex jure gentium, inquit Hermogenianus in l.5, de f. 5 f. exceptis quibusdam, qui à jure civili introducti sunt. Utinam verò non tantum Hermogenianus, sed & eçunneus fuisset, & exceptionis species subjecisset regule? Sic enim foret, ut multis supersede-re possemus questionibus. Hinc plurimi regula tribuunt, quod erat exceptionis, & contra huic adscribunt, quod illi jure debetur, id quod in proposita questione accidit, dum Emphyteus in contractum juris civilis indigitant, cum tamen sit juri gentium, quod sic evincimus. I. Si est juris civilis, tum est aut inventione, aut formæ additione. At non inventione, quia non tantum nomen hujus contractus fuit ante constitutionem Zenonis l.15. §. 1. qui satis dar. cog. l.3. §. 4. de reb. cor. qui substitut. l.1. C. de fund. patrimon. sed etiam res ipsa. §. ad. c. 3. Inst. de locat. & cond. Unde Claud. David in velit. legal ad §. Jus autem gentium Inst de f. N. G. & C. hunc contractum vocat Sibylla Cumana antiquorem. Non etiam formæ additione: licet enim scriptura ex constitutione Zenonis huic contractui sit addita, illa tamen minimè ad formam ejus essentialiè est referenda: sequeretur enim hinc, quod Emphyteus non esset obligatio ex consensu, sed ex literis, & sic d. §. 3. efficeretur fugitus & commodāno obtineret sedem. Deinde idem esset statuendum de emptione & venditione, quæ interdum sine scriptura suam non consequitur perfectionem l. 18. C. de fid. instr. quis autem dixerit, eam propterea effici contractum juris civilis, contrad l.5. de f. & f. l. 7. §. 1. de pact. l.1. §. fin. de contr. empt? Porrò & hoc concedunt ipsi

adver-

DECAS VIII.

173

adversarii, scripturam tantum requiri ad Emphyteusin probationis gratia, ut & in aliis fieri a solet contractibus l. 4. de fid. instr. l. 4. de pignor. l. 38. de O. & A. Ergo non ad formam. Sic libenter etiam concedimus, quod quoad damnum seu effectum huic contractui aliquid sit additum per constitutionem Zenonianam: Ultrum autem haec additio faciat ex contractu Jurisgentium, contractum juris civilis, illud est, quod per negamus: bac enim ratione nullos haberemus contractus Jurisgentium, cum omnes producant actionem civilem. I. Quando queritur, cuius juris sit haec vel illa res, tunc in primis respicimus ad usum, §. 1. Inst. de J. N. G. & C. ibi, ut tuntur, & l. 1. §. fin. de J. & J. l. 9. inf. eod. aut ad originem. Ultrumque si consideremus in proposito, luce meridiana clarius apparebit, Emphyteusin esse Jurisgentium: Usus enim Emphyteuseos etiam fuit apud Bizantios, auctore Aristotele lib. 2. œconom. vide c. 47. Gen. vers. 24. De origine supra dictum est. III. Quia licet Imp. Zeno Emphyteusin à contractu emptionis & locationis distinxerit, ergo propriam naturam tribuerit: inde tamen minime consequens est, quod ipsa rem primum introduxerit. Quemadmodum enim Gallus Aquilius invenit formam & modum, quo postumi nepotes heredes institui possint, qui antea erat incognitus, l. 29. pr. de lib. & post. l. 33. §. 1. de V. & P. S. non tamen novum aliquod jus constituit, quod ex l. 12. tabb. erat constitutum: quemadmodum is, qui spicas excutit, non facit novam speciem, sed eam, quæ antea erat, detegit l. 7. §. 7. in f. de A. R. D. eodem etiam modo Zeno, quod antea quidem erat, sed non à quolibet intelligebatur, clarius effecit & in lucem produxit: ea autem quæ addidit, non pertinent ad essentiam rei, sed potius sunt accidentia, sine quibus nihilominus contractus potest

aa 3

esse

esse perfectus, IV. Quia ut antea erat juris gentium, sive refe-
rebatur ad emptionem-venditionem, sive ad locationem-co-
ductionem: ita etiamnum hodie. Ratio est, quia forma ejus,
consensus mutuus, adhuc durat, ut liquet ex §. adeo, ibi: sed
suis pactionibus &c. Inst. de locat. & cond. Tum etiam, quia
ex utroque contractu Emphyteusis quasi in unum corpus est
redacta & confusa l. i. C. de jur. emphyt. oportet igitur ut se-
quatur naturam simplicium, qua adjus gentium pertinent, in
primis cum ex utroq. participet. Aut licet fateamur, eam et-
iam aliquid ex jure civili obtinuisse: tamen sequi eam dicimus
id quod præstantius l. 10. de stat. hom. quod hoc loco est jus gē-
tium. Habemus consentientes Coras. in rubr. Cod. de jur. em-
phyt. n. 8. & 1. miscell. 21. num. 3. Connan. v. com. c. 6. num. 11.
Cujac in par. C. d. t. Hotom. add. §. adeo. Heig. ibid. Giphan.
ad l. 2. C. de jur. emphyt. Arum. exerc. 14. tb. 12. Bronch. cent. 1.
ass. 79. Enucle. Don. lib. 13. c. 22. lit. B. Diss. Hakelman. disp.
1. thes. 5. lit. 8. Hænon. disp. 1. thes. 14. membr. 2. Borcholt. de
feud. c. 3. num. 3. Treutl. vol. 1. disp. 29. tb. 9. lit. B. Gædd. ad l.
27. de V. S. n. 19. Anton. Fab. 15. conject. 4. Förster. part. 1. disp.
18. tb. 9.

QUÆSTIO VI.

An societate omnium bonorum inita Dos & sumptus
studiorum ex communi erogari de-
beant?

Societatem inire possumus, nō tantū certa alicujus nego-
tiationis, verum etiam omnium & universorum bono-
rum l. 5. pr. per soc. Cujus effectus hic est, ut omnia commu-
nicentur l. i. & l. 3. §. 1 d. t. Questio hinc emergit, utrum pa-
ter, socius omnium bonorum, de suo teneatur dotare filiam,

& fi-

Si filio ad studia sumptus suppeditare; an verò societati hoc possit imputare? Primum quod attinet, adhæremus illis, qui dotem ex communi societate fieri debere statuunt, idq; ob has rationes. I. Quicquid alter sociorum præstare cogitur aliqua necessitate, non autem ex proprio delicto, id societati est imputandum arg. l. 52. §. fin. pro soc. Sed ad patris officium pertinet, ut filiam dotet l. ult. C. de dot. promiss. l. 19. de rit. nupt. l. 6. de collat. bon. l. 19. C. de hæret. ut evicimus supra dec. 2. q. 4. cum etiam reip. intersit, fœminas habere dotes l. 2. de jur. dot. & l. 1. sol. matr. ut matrimonia frequententur l. 18. de reb. auth. jud. poss. & resp. civibus augeatur l. 7. §. 3. de bon. dam. l. 2. in f. C. de indict. vid. toll. II. Ex his porrò sic inferimus: Quaecunq; reip. debentur, ea societati omnium bonorum imputari debent l. 39. §. 3. fam. hercisc. Dös autem filiæ præstata reip. est debita, per textus supra allegatos. Ergò imputanda. III. Omnia ea, quæ in honorem liberorum erogantur, societati universarum fortunarum imputantur l. 63. in f. pro soc. At quis nescit, matrimonium esse summum honorem filiæ l. 2. ver. amot. cuius auxilio ad mariti splendorem & dignitatem provehitur, l. 8. de senat. l. 1 l. 15. C. de dignit. l. 9. C. de incol. Nov. 22. c. 36. Nov. 105. c. 2? Quod sanè absq; dote raro contingit.

Nunc ut alterum paucis saltē tangamus, idem statuimus etiam de sumptibus studiorum nomine erogatis propter rationem identitatis inter hos & dotem concurrentis. Etenim si NECESSITATEM horum sumptuum desideras, facili labore eam demonstrabimus. Quicquid ex pietate debita proficitur, illud summae est necessitatis, argum. l. 5. §. 2. de agnosc. & al. lib. l. 1. §. 10. Si quid in fr. patr. juncta l. 18. de rit. nupt. Sumptus autem illi, qui in studia

filiorum

DIATRIB. DOMESTICAR.

176

filiorum impenduntur, ex pietate dabit proficiscuntur l. 50.
fam. hercise. cum parentum intersit, ne animi liberorum cor-
rumpantur, sed potius bonis moribus imbuantur l. 14. §. 1. de
serv. corrupt. l. 12. §. 3. de admin. tut. Ergò ex necessitate, ergò
imputandi. Deinde REIPUBLICÆ hos sumptus per consequen-
tiam deberi, quis ibit inficias? Quemadmodum ratione dotis
ejus intererat, multos habere cives, ita vel maximè ad ipsius
incolumentem spectat: habere istiusmodi cives, quorum
scientia totus illuminatur orbis, & ad obedientiam Deo &
magistratui vita subjectorum informatur l. 1. §. 1. de J. & J.
quod ipsum soii præstant eruditii Auth. Habita. C. ne fil. pro
patr. qui non minus provident humano generi, quam si præ-
liis & vulneribus patriam parentesq; defenderent, l. 14. C. de
advoc. divers. judicior. cùm è contrario indocti nihil sint aliud,
quam cœca animalia c. fin. dist. 49. quæ utilitatem publi-
cam non cernunt, nedum promovere sciant. Deniq; sumptus
bosce in honorem filiorum erogari nemo, nisi indoctus nega-
bit: docti enim ad clavum reip. sedere jubentur. §. fin. proœm.
Instit. Hinc tot insignia elogia, eruditis in jure tributa, de
quibus egimus in Dec. 1. q. 5. rat. 1. hinc ipsis præ reliquis bene-
ficia immunitatis tributa, l. 8. §. penult. de vac. mun. l. 6. §. 5. de
excusut. Adde l. 20. de fideicom. lib. l. ult. C. de aliem. præst. l. 4
ubi pupil. educ. Faciunt nobiscum Petr. de Ubald. tr. de duob.
fratrib p. 6. q. 9. fol. 69. Menoch. 2. arbitr. Jud cent. 2. Cas. 127
Mozz. c. 2. de divis. n. 10. vers. quare. Treutl. vol. 1. disput. 27.
tb. 8. lit. H. Arum. exercit. 15. tb. 2. Wegner. disp. 12. tb. 6. lit. C.
Vide Don. ad rubr. C. prosoc. n. 18. & 19. & lib. 13. com.

c. 16. & ibidem Enucleat. lit. I. Dissen-
tientes allegat Treutl.

d. I.

QUE-

QUÆSTIO VII.

An Deportatus mandare possit?

D eportatio species est mediae capitis diminutionis l. 5. §. fin. de extraord. cognit. quæ & civitatem, l. 6. prin. de interdict. & bona, l. 14. § 1. cod. omniaque quæ sunt juris civilis adimit l. 17 de pœn. l. 1. §. 2. de leg. 3. ut meritò Deportati civiliter habeantur pro mortuis l. 1. §. pen. de bon. poss. contr. tab. l. 63. inf. pro soc. l. 65. §. 12. cod. Nihilominus tamen lis moveatur inter J Ctos, An Deportatus mandare possit? Ansam questioni præbuit Paulus in l. 22. § 5. mand. ex qua affirmativa stabili posse, sunt qui statuunt: quares, an ita sese habeat, paucis pro instituto nostro investigabimus. Ita enim ait J Cetus: Is cuius bona publicata sunt, mandare alicui potest, ut emat: et si emerit, utilis erit mandati actio, si non præstet fidem. Ex quibus verbis talis extruitur syllogismus: Cujus bona sunt publicata, is mandare potest: Sed Deportatus is est, cuius bona sunt publicata. Ergo Deportatus rectè mandat. Majorem propositionem quod attinet, sciendum est, eam non ita simpliciter esse accipiendam, sed limitatione & restrictione hujusmodi indigere: Cujus bona publicantur circa capitis diminutionem maximam & medium, is mandare potest. Quod si nunc assumas de Deportato, falsa omnino evadet assumptio, cum Deportatio successerit in locum a quæ & ignis interdictionis & sine amissione civitatis nunquam contingat, ut ex præliminariis constat, l. 6. prin. de interd. & reg. Rectè autem propositioni dictam limitationem adhiberi, ex ipsa legis ratione eminet. Addit enim Paulus: quod ideo receptum est, quia publicatis bonis,

quicquid postea acquiritur, non sequitur fiscum. Quæ verba si de Deportato acciperentur, non tantum contradiceret Imp. Alexandro, qui in l. 2. C. de bon. prescript. etiam ea, quæ post pœnam acquiruntur Deportato, publicari disertè ait sed & ipse sibi contrarius foret, cū in l. 7. §. si. de bon. damn. Deportati bona postea acquisita fisco tribuat. Sequitur igitur, quod non possit d. l. 22. §. 5. de alio accipi, quam de eo, cuius bona citra capitis diminutionem sunt publicata, qui non est relegatus: huic enim, si in perpetuum exilium detur, vel pars bonorum, l. 4. de interdict. & releg. vel omnia adimi possunt l. 57. §. 1. de admin. tut. sed absq; capitis diminutione. §. relegati Inst. quibus mod. jus patr. post toll. unde & civitatem, & testamenti actionem retinet l. 7. §. 3. d. t. nec ullum jus amittit d. l. 4. & d. l. 7. §. final. de bon. damnat. rectè igitur bona sua publicata emere potest vel per se, vel per alium, cui hoc mandaverit l. 11. §. 4. de publican. Nec juvat dissentientes, quod Deportati retineant ea, quæ sunt juris gentium, l. 17. §. 1. de pœn. l. 5. de bon. damn. ad quæ pertinet et mandatū l. 7. de pact. l. 5. de f. & f. illa enim regula non est perpetua; & quemadmodum non semper civilia perimit d. l. 5. de bon. damnat. ubi Deportatione non dissolvitur matrimonium, quod tamen juris civilis esse constat, pr. Inst. de f. N. G. & C. ibi, quam nos. Sic etiam interdum tellit ea, quæ sunt juris gentium l. 2. de interdict. & releg. juncta. l. 4. de f. & f. quò pertinet etiam dominium bonorum l. 5. d. t. quod tamen relegatis admittur. Doctores & ductores nostri sunt, Cujac. ad l. 8. qui test. fac. poss. Gothofr. ad l. 22. §. 5. mand. Treutler. vol. 1. in disp. 29. tb. 2. lit. a. Forcatul. dial. 82. num. 5. Phil. Matth. ad l. 97. de R. f. Bronch. cent. 1. miscel. aff. 65.

Diss.

DECAS VIII.

279

Diss. Gœdd. ad l. i. n. 4 de V. S. Arum. exercit. 15. th. 7. Pac. cent.
4. q. 87. Encl. Doncl. lib. 17. c. 4.

QUÆSTIO VIII.

An negotiorum gestor præstet culpam levissimam?

Multicasis incident rebus mortaliis l. 15. C. de usufr. ita ut nec dici, nec numerari possint, l. ul. C. de præscr. 30. vel 40. an. ex quibus interdum homines nil tale sperantes peregrè abire coguntur, idq; non sine dispendio rei familiaris l. 7 testam. quemad. aper. Magna igitur utilitatis est, l. i. de neg. gest. Et amicitia negotia absentis curare, ne quid detriment. patiatur l. 20. C. eod. An autē is, qui absentis negotia gerit ad exactissimam teneatur diligentiam, non immerito queritur. Affirmativa m. tuebimur. I. per §. Igitur. i. vers. quo casu Inst. de obligat. que quas. ex contr. ubi proponit regulam Imp. quod negotiorum gestor teneatur ad exactissimam diligentiam. Regulam autem eam esse, ostendit verbum Quis. Quae, Et subjecta exceptio, si modò aliis diligentior, commodius administratus esset negotia. Quasi dicat Justinianus, tū demum negotiorum actorem officio suo satisfecisse, quando à nemine vincitur diligentia: at hoc nunquam futurum, nisi exactissimam adhibuerit operam: cum semper ab alio diligentius possint administrari, negotia, si exactam usurpat diligentiam. Quemadmodum igitur in ædilicio edicto, qui optimum dixit, optimum etiam, non mediocrem, præstari debet l. 28. §. 1. de ædil. edict. ita negotiorum gestor, à quo exactissima requiritur diligentia, eam adhibere debet.

Bb 2

II. Qui-

DIATRIB. DOMESTICAR.

180

II. Quicunq; sese sua sponte alicui negotio obtulit, is in plus tenetur, quam alius natura contractibus patiebatur l. i. §. 36 Depos. ubi Depositarius tenetur etiam ad culpam, cum tamen alias solum præstet dolum l. 23. de R. J. Cum igitur mandatarius teneatur etiam de omni culpa l. 13. C. mand. l. 21. eod. qui tamen se non obtulit: quid ni idem statuendum fuerit de negotiorum gestore? III. Facit huc l. 25. §. 16. fam. hercisc. ubi Paulus inter coheredem & negotiorum gestorem hoc discriminis statuit, quod coheres talem in re communi prestare debeat, qualem ex propriis rebus alias præstat, ne facile suum jactet, l. 25. pr. de probat. Negotiorum verò gestore am, quam diligens pater familias suis facultatibus impendit, que est exactissima l. 18. pr. commod. Jungatur igitur §. item is 2. Inst. quib. mod. re contr. obl. ibi: Si modo alius diligentior, cum d. §. 1. Inst. de obl. que quasi ex contr. & apparebit sententia nostra veritas. IV. Præter alia, que brevitatis amore sicco nunc præterimus pede, patrocinatur nobis, l. 24. C. de usufr. Vide Don. 15. com. 15. & ibid. Encl. lit. F. Vult. 1. discept. 15. Förster. part. 1. disput. 19. th. 1. Anton. Coler. part. 2. disput. 4. Publ. 1. Gaedd. de contr. stipul. c. 5. concl. 15. num. 221. Elias Rober. disput. 18. thes. 1. Wegner disput. 13. thes. 2. lit. D. Disf. Petr. Gregor. in Syntagma jur. libr. 20. c. 2. num. 4. Dn. Arum. exercit. 15. thes. 11. Hænon. disputat. 17. thes. 17. Treutler. volum. 1. disputat. 10. thes. 6. liter.

D.



QUÆ-

QUÆSTIO IX.

An debitum sub certa die promissum, ante diem
creditori invito solvi possit?

IN omni obligatione civili quasi scopus quidam constituitur ipsa solutio debiti, l. 3. pr. de O. & A. pr. tit. Inst. de oblig. ut autem variis modis homines obligantur, ita etiam varie solvunt, ut si in diem sunt obligati, ante diei existentiam ad solutionem cogi non possunt l. 118. §. 1. de V. O. Ultrum autem si velint, ante diem invito creditoris solvere queant? de eo nō idem statuunt docti. Nos id omnino licere statuimus. I. Indubitate enim juris est, quod rei sint favorabiores actoribus, l. 125. de R. J. Unde etiam diei adjectio pro reo facta censetur, non pro stipulatore l. 41. in f. de V. O. §. 2. Inst. eod. l. 17. de R. J. idq; propterea, ne difficultate solutionis involvantur, l. 31. de re jud. Quæ difficultas si non obstet, non videamus, quæ ratio suadeat, ut à creditore solutio repudietur: cū cuilibet liceat favori pro se introducto renunciare l. pen. C. de pact. l. 14. pen. de ad l. dict. in primis si renunciatio non sit contra bonos mores, l. 14. §. fin. sol. matr. nec in alterius præjudicium vergat l. 51. C. de epis. & cler. Non autem nocetur hoc casu creditori, quippe cuius favor in adjectione diei non venit in considerationem, nisi id expreßè actum fuerit d. l. 17 de R. J. sed potius ipsi maturiori solutione consultur: quemadmodum n minus solvit, qui tardius l. 12. in f. de V. S. l. 15. in f. de in diem addict. ita è contrario, plus solvit, qui citius §. si quis agens. vers. quæ enim. Inst. de act. II. Quam sententiam qui reprobant, sanè ipso meridie cœcutire & collyrio opus habere videntur, quod dabit presentissimum Ulp. in l. 38. §. 16. de V. O. Casus in l. 70. de solut. & Justinianus in §. 2

DIATRIB. DOMESTICAR.

182

Inst. eod. illi enim aiunt, quod certa die promissum est, statim dari potest, hic vero: quod in diem stipulamus, statim quidem debetur, sed peti priusquam dies venerit, non potest. Ex quibus id colligimus, creditorem quidem ante diem nil posse exigere, quia licet dies cesserit, tamen nondum venit, l. 213. pr. de V. S. debitorem a. si velit, solvere posse, sive nolit creditor sive velit l. 137. §. 5. de V. O. Et quanquam interdum distinctio volentis & nolentis creditoris adhiberi solet, ut id tantum possimus, quod vult creditor: tamen propriissime ea possumus, que etiam invito ea licent, l. 53. de solut. ex qua hoc inferimus, quod etiam in iusti conditionem meliorem facere possumus l. 39. de negot. gest. id quod maturior solutio efficit, ut diximus. Ac ne quis dubitet, debitorem hoc posse etiam invito creditore, inspiciat rationem juris ubiqꝫ annexam: Ulpiani & Celsi hæc est: Totum enim medium tempus, ad solvendum liberum promissori relinquatur. Iustiniani: quia totus dies arbitrio solventis tribui debet. Id autem liberum est, quod ad utrumque fieri scilicet & non fieri, indifferenter se habet argum. l. 17. §. 3. commod. l. 22. in fin. mand. §. 11. Inst. eod. sic in arbitrio nostro res est, quam ex nostra voluntate metimur, l. 7. §. 1. de reb. dub. l. 22. §. ult. de noxal. act. Quare si diceremus, liberum quidem esse, sed volente creditore, nonne ut metuenda esset αὐλογία εὐ περιμένω? cum liberum non sit, quod dependet ex alieno arbitrio; l. 1. C. de S. S. Eccl. juncta l. 32. pr. de her. Inst. Adstruunt hanc sententiā Don. ad l. 41. §. 1. n. 47. de V. O. Coras. & Duar ad l. 39. §. 16. & ibid. Giphan. cod. Ant. Fab. 1. conject. 1. Arum. intr. de mora, c. 7. n. 9. & disp. ff. 23. th. 14. Bronch. cent. 4. aff. 63. Gerhard. dec. 16. q. 3. Forst. disp. 19. part. 1. thes. 7. Hænon. disp. 17. th. 24. Wegner. disput. 13. th. 6. lit. C. Diss. Cujac. libr. 23. obs. c. 22. & ad d. l. 38. & ibidem.

Ferret.

DECAS VIII.

Ferret. Bocer. Class. 1. disp. 16. th. 54. Borcholt intr. de V. O. c.
6. num. 33.

183.

Q UÆSTIO X.

An per aditionem hereditatis tollatur & confundatur naturalis obligatio?

UT certi sunt modi obligationē constituentes, ita et nō nisi certis causis vicissim destruantur l. 35. de R. J. inter quas principem locum obtinet solutio. pr. inst. quib. mod toll. oblig. sive illo, sive vera, sive ficta l. 5. de acceptiol. quo pertinet aditio hereditatis, quæ confusione tollit obligationem, l. 2. §. 18. de her. vel act. vend. l. 6. C. ad l. Falcid. l. 1. §. pen. ff. eod interdū pro solutione cedit l. 95. §. 2. de solut. idq. in obligationibus civilibus, non tantam habet difficultatem, quantam in naturalibus. sunt enim qui de his negent: contra quos tamen in aciem prodire est animus. I. Confusione tollitur obligatio, ut solutione l. 21. §. 1. de lib. leg. l. 50. de fidejuss. sed solutione tollitur omnis obligatio, tam naturalis, quam civilis, l. 95. §. 4. de solut. Erg. II. Quod ut clarius evadat, recipimus nos ad d. l. 95. §. 2. de solut. ubi agitur de naturali pupilli obligatione quod ne ipso adversarii quidem negare possunt: quamvis enim pro ea parte, qua locupletior factus est, civiliter est obligatus: tamen pro parte, qua non est locupletatus, naturaliter tenetur, qua de re egimus supr. dec. 3 q. 5. III. Sic aditio hereditatis propter confusione habetur pro compensatione, l. 33. sol. matr. compensari autem possunt non tantum quæ civiliter l. 1. de compens. sed etiam quæ naturaliter debetur, l. 6. eod. IV. Hoc ipsum liquidè confirmat l. 21. §. 3. de fidejuss. ubi creditor reum instituit heredem, queritur

quid

DIATRIB. DOMESTICAR.

184

quid fiat de fidejussoris obligatione? Respondet J. Cetus,
eam quoque omnimodo perimi, sive reus civiliter, sive
naturaliter fuerit obligatus. Quod sane affirmare nun-
quam potuisset, nisi naturalis obligatio confunderetur, illa-
enim sola potest sustinere fidejussionem l. 16. §. 3. d. t. cum
quo consentit, quod traditur in l. 71. vers. Et puto. eod.
l. 38. § final. de solut. l. 38. condic. indeb. Faciunt nobis-
cum Cujac. Pac. Mercer. Donell. Gilken. add. l. 38. de
condic. indeb. Ant. Fabr. 6. conject. c. 17. § libr. 20.
cap. 20. Gaspar. Sc bifor dech. libr. 3. ad Ant.
Fabr. tr. 5. q. 1. Nos hic
finimus.



DIA-

00 A 6440



3

VDA

Retro ✓



Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

